



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Angela De Fvlginio, In Qvo Ostenditur Nobis vera via qua  
possumus sequi vestigia nostri Redemptoris**

**Angela <de Fulginio>**

**Parisiis, 1598**

c. 51. De illuminatione & sentimento siue inspiratione quæ à Deo ei facta fuit super via & statu salutis animarum. Et de eis qui nolunt sequi id quod intus admonentur, quodque eis inspiratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43716**

Quinquagesimum primum capitulum.

De illuminatione & sentimento siue  
 inspiratione qua à Deo ei facta fuit  
 super via & statu salutis anima-  
 rum. Et de eis qui nolunt sequi id  
 quod intus admonentur, quodque  
 eis inspiratur.

Q V A D A M vice dum ora- *Non esse*  
 rem in cella mea, dicta *respon-*  
 sunt mihi ista verba. Omnes qui *das illu-*  
 docentur à Deo & illuminantur *minatio-*  
 vt intelligant viam Dei; & in isto *nes.*  
 lumine & documento, quod fit  
 eis spiritualiter à Deo, claudunt  
 aures ne audiant, & oculos ne  
 videant, nec volunt attendere,  
 nec volunt audire illud quod lo-  
 quitur eis Christus in anima, sed  
 omnino ingrossantur, & sequun-  
 tur doctrinam aliam à documen-  
 to, quod intelligunt sibi factum  
 à Deo, & volunt tenere viam  
 communē contra conscientiam,  
 illi habēt maledictionem à Deo  
 omnipotente. Multotiens au-  
 tem dictū est mihi istud verbum,

117

quod prædictum est. Ego autem horrebam illud audire, cum videretur mihi valde grauè, & timebam esse deceptionem, quod scilicet illis quibus Deus dat lumen & gratiam, postea det maledictionem. Tunc ponebatur mihi vnum exemplum: & præceptum est mihi frequenter, quod facerem scribi.

Exemplum autem est de scholare, qui ponitur à patre ad scholas, & pater facit ei expensas sumptuosas, & honorat eum vestimentis & libris, & cum informatus est sub inferiori magistro; procurat post, vt transferatur ad altiorem magistrum. Si post hæc scholaris prædictus negligenter agat, & non curet de scientia quam didicit, sed redeat ad statum secularè & ad vile officium & ministerium magni laboricij, & de eo quod sic didicerat, nihil ei remaneret: talis inquam pater super huiusmodi filio magnam deberet habere turbationem &

indignationem. Talis filius est ille, qui prius docetur per prædicationem & per scripturas, & postea spiritualiter illuminatur à Deo, & datur sibi intelligere spirituali lumine, & diuina inspiratione quomodo sequatur viam Christi, propter quam addiscendam prius facit eum doceri per alios, & postea docet eum Deus suo spirituali lumine & doctrina, quæ non potest doceri nisi à Deo, & hoc facit, vt ipse se dirigeret; & etiam aliis lumen esset. Si talis negligenter agat, & ingrossetur & incrassetur, & despiciat lumen suum, & Dei doctrinam, & diuinam inspirationem: Deus aufert ei illud lumen & gratiã, & habet maledictionem. Et est mihi præceptum, vt hoc verbum scriberem, & vni fratri cui confitebar, ipsum dicerem: quia eum tangebatur. Iterũ dictum est mihi in alia diuina locutione. Est quædam generatio quæ cognoscit Deum solum ex multa

bonitate bonorum quæ fecit eis: & isti parum cognoscunt. Et est alia generatio hominum; qui quamuis cognoscant Deum per prædicta bona eius, tamen multo melius cognoscunt eum per bonitatem Dei, quam experiuntur in se. Iterum in alia locutione accepi cognitionem, & audiui vocem clamantem & dicentem: O quam magni sunt, ô quam magni sunt, sed non magni lectores scripturæ meæ, sed eius adimpletores & factores. Iterum dicebat, quod tota scriptura diuina adimpletur in exëplo vitæ Christi. Quadam vice dum orando dicerem Deo. Scio Domine, quia tu es pater meus, quia tu es Deus meus, doce ergo me, quid vis quod ego faciam, & instrue me in his quæ tibi placent: quia sum parata obedire. Cum ergo in his verbis stetissem à manè vsque ad tertiam, & vidi & audiui, sed quod vidi & intellexi, nullo modo possum, nec scirem dicere.

*Factores  
lege non  
lectores.*

Sed fuit vna abyssus omnino ineffabilis, & ostendit mihi quid est ipse, & qui viuunt in ipso, & qui non; & dixit mihi: In veritate dico tibi, quod non est alia via recta, nisi illa quæ sequitur mea vestigia, quia in via ista quæ est mea; nulla est omnino deceptio. Verbum autem istud in veritate & in magna claritate sæpe & in multis locutionibus dictum est mihi.

*Vera  
via recta  
ad falsum.*

Explicit multiplex eius  
consolatio.

*Quinquagesimum secundum capitulum.*

*De doctrina & instructione huius  
Sanctæ. Et primum qualiter possit  
cognosci & haberi certitudo quod  
Deus in animam veniat.*

**S**CIENDVM est igitur quod venit Deus in animam quandoque non vocatus, nec deprecatus, seu rogatus ab ipsa: & ponit in anima vnum ignem, vnum

*Quomodo cognoscit, quia Deus sit in anima.*